



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. LIIII. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c. Carm. gen. 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)



Certè timebit non timenda, & conscius  
 Vexabit horror pectora.  
 Nam Dominus ossa conteretq̃, & hostium  
 Ausus retundet impios.  
 Vultum pudoris turpibus sparget notis:  
 Turbabit animum infamia.  
 En unquam Eoo Lucifer salutifer  
 Ab axe promethuac diem?  
 Ab arce Dominus quum Sionis ardua  
 Speratam opem feret suis,  
 Patriaq̃ uinclis liberos hostilibus  
 Reddet nepotibus Ifaci,  
 Electa laudes gens illius ut canat  
 Perfusa uero gaudio.

PSAL. LIIII. Deus in nomine tuo saluum  
 me fac, &c. Carm. gen. 10.

**R**erum parens me protege,  
 Et sœuo ab hoste libera,  
 Nomen boni ut colant tuum,  
 Et uim pauescant impij.  
 Audi benignus supplicem,  
 Nec durus auren questibus  
 Occlude: uitæ nam meæ  
 Crudelis hostis imminet.  
 Infestus hostis imminet  
 Vitæ meæ: nec uindicem  
 Dei potentis dexteram  
 Sibi imminentem respicit.  
 Rerum sed æquus arbiter  
 Opem feret: periculis

G iiij



Me liberatum fulciet,  
Et sospitem tuebitur.

Suis peribit artibus  
Scelestæ fraus, & incident  
In ipsa cæci retia  
Quæ clām mihi tetenderant.

Liber periclo, uictimis  
Te munerabor: te canam  
Patrem, bonis placabilem,  
Malisq; formidabilem:

Qui libero molestijs  
Mihi dedisti gaudia  
Haurire læto lumine  
De clade gentis perfidæ.

PSAL. LV. Exaudi Deus orationem me  
am, & ne &c. Carm. gen. 5.

CÆlitum rector bone, mitis aurem  
Admoue in rebus trepidis uocanti,  
Neu meos uultu tetrico seuerus  
Despice questus.

Aspice attentus mihi quo tumultu  
Aestuet pectus: gemitu dolores  
Quo fremant, dum uis mihi frausq; sæui  
Imminet hostis.

Imminet sæuus capiti tyrannus,  
Et meæ famæ meditatur atrox  
Crimen, & secum furit impotenti  
Turbidus ira.

Cor micat, neruis trepidant solutis  
Ossium nexus, animus labascit,  
Semper